



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

13 An Usurari[us] habeat dominium eoru[m], quae ex pecunia usuraria  
accepit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

*Et c. Transmissa. de Decimis. c. Debitores, de Inuentione.*  
 Sic Adrian. in 4. de Restitutione. quest. qua incipit: Ex his  
 alia oritur questio. sic Innocent. in c. Michael de vsur. So-  
 tus in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. Alexan. p. 4. q. 33. mem. 2. art. 2.  
 Henricus Quodlib. 4. q. 27. Palud. in 4. dist. 15. q. 2. art. 3.  
 Rosella verb. vsura. 4. nu. 10. Baldus in l. n. 3. C. de pigno-  
 rat. alt. Nauar. c. 17. n. 265. & probant, quia quisque vo-  
 luntate sua potest transferre dominium bonorum suorum  
 in alium: sed mutuatarius ex conuentione, & pacto, sol-  
 uit vsuram, ergo transfert dominium eius in vsurarium  
 Quod si dicas: Non soluit vsuram mutuatarius simpliciter  
 voluntarie, quia necessitate coactus soluit eam, quia mu-  
 tuator non vult mutuari nisi ad vsuram. Contra hoc est  
 argumentum, quia hoc non tollit, quin voluntarie soluat:  
 nam etiam, quod metu facimus, Verbi gratia, quippiam  
 metu, vel minis nos damus alteri, verè transferimus domi-  
 nium in eum. Item ex iure Ciuili, & Canonico, dominium  
 transfertur per traditionem rei: sed mutuatarius tradit vsu-  
 rario lucrum, quod soluit ex mutuo, ergo transfert domi-  
 nium illius. Obijcies: Non sufficit sola, & simplex traditio  
 rei: sed requiritur, vt fiat cum iusto titulo. Contra hoc  
 est argumentum, quia hic adest titulus præter traditionem,  
 nimirum conuentio, & pactum, quo mutuatarius promisit  
 se soluturum vsuram: neque requiritur, vt titulus sit ius-  
 tus, id est per legem licitus: satis enim est, vt lex non pro-  
 hibuerit translationem dominij, licet prohibeat factum:  
 nam etiam leges prohibent meretricium actum, nec tamen  
 reuocant translationem dominij eius, quod datur meretri-  
 ci. Si secundò obijcias, non sufficere solum rei traditionem,  
 quia vsurarius lege naturali, & diuina, & canonicè obligatur  
 ad restituendum lucrum per vsuram acceptum. Con-  
 tra hoc est argumentum, & quia qui vendit merces pluri-  
 quam valeant, aut emit minoris quam æstimentur, obliga-  
 tur in conscientia ad restitutionem, & tamen habet domi-  
 nium pretij accepti, vel retenti. Item mutuatarius post mo-  
 ram soluendi mutuum, tenetur in conscientia ad solutio-  
 nem lucri cessantis, vel damni emergentis, si de eo soluendo  
 conuenit; & tamen dominium habet eius, quod restituere  
 tenetur.

Secunda opinio est asserentium in vsurarium non trans-  
 ferri dominium lucri per vsuram accepti. Est S. Thomæ 2.  
 2. q. 78. art. 3. ad finem. Caietanus in Opus. tom. 2. tract. 8. q.  
 1. Altiusodor. lib. 3. tract. 21. cap. 1. qu. 1. principali. Ricardus  
 in 4. dist. 15. qu. 5. art. 8. Sotus lib. 6. de iust. q. 1. art. 4. Medina  
 qu. 4. de vsura ad tertium principale. Couarru. lib. 3. variat.  
 resolut. cap. 3. nu. 7. Gabr. in 4. dist. 15. q. 1. art. 1. notab. 3. Ma-  
 ior in 4. dist. 15. q. 38. Almayn. ead. dist. q. 2. Angel. verb. vsu-  
 ra. 2. nu. 18. Silu. ead. verb. 6. q. 1. Lupi Gemin. tract. de vsur.  
 comment. 4. §. 3. §. 37. Ioan. Andr. Lapi, Gemin. Francisc. in c.  
 Quamquam de vsur. in 6. Probat hęc opinio, Primò, quia  
 vsurarius tenetur restituere omnes fructus rei per vsuram  
 acceptæ, si fructifera est; quod si dominium haberet, fructus  
 faceret suos. Secundò, quia vsurarius nullo iusto titulo,  
 aut causâ dominium habet, quia contra iustitiam lucrum v-  
 surarium accipit. Tertio, quia ex contractu, qui per legem  
 diuinam, & canonicam, & ciuilem est irritus, non transierit  
 dominium; sed contractus vsurarius per omnem legem  
 diuinam, & humanam est irritus: ergo ex eo nõ transfertur  
 dominium.

In hac re dicendum est, aliqua esse certa, aliqua esse du-  
 bia. Primò, certum est apud Auctores, si res per vsuram ac-  
 cepta consistat in pondere, mensura, vel numero, vt est pe-  
 cunia, frumentum, vel oleum: tunc eius dominium trans-  
 fertur in vsurarium, quando eumque eam permisuerit  
 cum re sua eiusdem generis; ita vt amplius separari, vel dis-  
 cerni non possit; vel quando eumque eam postea admif-  
 cuerit cum re sua eiusdem generis. Sic Angelus, & Silue-  
 ster. & ratione patet; quia, vt diximus in tract. de Restitu-  
 tione in communi. Et in tract. de dominio rerum acquiren-  
 vnus modus acquirendi dominium, est per admixtionem  
 rei cum alia eiusdem generis, siue materia; vt si fur vinum,  
 vel oleum furtiuum, vel nummos argenteos, misceat eum

vinum, vel oleo suo, vel cum suis nummis argenteis. Secundo,  
 certum est, si res vsuraria exstet eadem in specie, tenetur v-  
 surarius eam restituere mutuatario. Tertio, si res vsuraria  
 est fructifera, tenetur vsurarius restituere mutuatario, et-  
 iam omnes fructus ex ea re perceptos. Quarto, tenetur v-  
 surarius restituere omnes lucrum cessans, & damnum emer-  
 gens mutuatario.

Tota igitur difficultas est inter Auctores, an his quat-  
 tuor positis, possit simul, tamquam verum, dici dominium  
 rei vsurariæ transferri in vsurarium. Nam prima opinio si-  
 mul cum illis quattuor dicit coherere hoc, quod est, vsura-  
 rium, dominium acquirere rei vsurariæ. & reuera est proba-  
 bilis opinio, vt eam posita argumenta confirmant. Secun-  
 da verò opinio ait, cum illis quattuor positis non posse si-  
 mul coherere, quod vsurarius dominium acquirat rei v-  
 surariæ. Sed quia parum refert, aut cum prima opinione, aut  
 cum secunda loqui; dummodo quattuor illa prædicta retineamus;  
 satis est secundam opinionem amplecti, tum quia  
 communior est, tum etiam, quia secundam opinionem, facilius,  
 & melius retinemus illa quattuor, in quibus  
 omnes conueniunt.

*An vsurarius habeat dominium eorum,  
 quæ ex pecunia vsuraria  
 accipit.*

CAPVT XII

**R**es per vsuram accepta potest esse pecunia, & potest esse  
 res fructifera. v. g. ager, domus, equus, ancilla, seruus;  
 fingamus vsurarium pecunia vsuraria negotiationi ex-  
 posita, aliquid lucrificasse, vel emisse, vel ludendo compa-  
 rasse. Ideo est dubium, an vsurarius habeat dominium eorum,  
 quæ acquiruntur ex pecunia vsuraria. Item fingamus, rem  
 vsurariam esse agrum reddentem fructus; dubitatur an v-  
 surarius habeat dominium fructuum perceptorum ex agro.  
 Item fingamus vsurarium vendidisse agrum, quem per v-  
 suram accepit; dubitatur an acquirat dominium pretij, quo  
 vendidit agrum.

In hac re, vt notat Archidiaconus 1. 4. q. 4. cap. Si quis vsuram  
 sunt duæ opiniones. Prima asserit vsurarium dominium nõ  
 habere. Ita sentit Altiusodor. loc. sup. cit. & probat, quia si ra-  
 dix est infecta; rami quoque sunt infecti: ergo quicquid ac-  
 quiritur ex re vsuraria, est vsurarium. Item 1. 4. q. 4. c. Si quis  
 vsuram vsurarius dicitur, fur, & raptor; sed fur dominium  
 non habet eorum, quæ ex re furtiua, siue rapta acquirunt. Itè  
 emptum pecuniâ vsurariâ, succedit loco pecuniæ, & pretij,  
 vt communiter Iuriconsulti aiunt, ex l. Si rem. Et l. Pretium.  
 ff. de Petit. hered. Et l. Imperator. §. fin. ff. De legat. 2.

Opinio secunda est communis, quam sequuntur Sotus,  
 Medina, Couarru. Almayn. Angelus, Siluest. Maior, Gabr.  
 Ricard. & Astenl. loci supra citati. Abbas cap. Naviganti.  
 de vsur. Atque hęc opinio loquitur cum distinctione. Pri-  
 mò, si res vsuraria est pecunia, tunc si quid ex ea vsurarius  
 acquirat, dominium habet eius, quod acquirat; vt si luden-  
 do, negotiando, vel emendo aliquid acquisiuit. Ratio huius  
 est, quia huiusmodi lucra sunt ex propria industria, & dili-  
 gentia vsurarij, non autem sunt fructus pecuniæ. Sic etiam  
 depositarius si aliquid emat ex pecunia deposita, sibi acquirit.  
 l. Si ex pecunia, C. de Rei vendic. Ita fur si aliquid ex pe-  
 cunia furtiua sibi acquirat. l. qui vas. §. fin. ff. de furtis. Item  
 si vxor ex pecunia viri defuncti pertinet ad filium, emat  
 nomine suo aliquid, sibi acquirat. l. 1. Et l. Sibi. C. Si quis al-  
 teri. Item si vnus fratrum ex pecunia omnium communi  
 emat aliquid suo nomine proprio, sibi acquirat, non aliis  
 fratribus. Secus esset si emisset communi omnium nomine,  
 tunc enim commune esset. Item, si quis furripat artificij  
 instrumenta artis, & suâ industriâ, & arte aliquid acquirat,  
 sibi acquirat, non artificij; licet omnes isti teneantur resti-  
 tuere pecuniam alienam acceptam, & omne lucrum ces-  
 sans, & damnum emergens. Secundò, si res vsuraria est fru-  
 ctifera.

fructifera, tunc usurarius non habet dominium fructuum ex ea perceptorum: & hoc iuxta secundam opinionem, quam diximus communem in cap. *procedenti*: quia sicut iuxta eam opinionem usurarius non habet dominium rei usurariae, sic nec habet dominium fructuum perceptorum; quia sunt fructus quos fert ipsa res. At verò iuxta primam opinionem, quam posuimus in cap. *procedenti*, sicut usurarius habet dominium rei usurariae: licet eam in foro conscientiae restituere teneatur: sic etiam habet dominium fructuum perceptorum ex re usuraria fructifera: licet eos in conscientia restituere teneatur. Tertio, si res usuraria est fructifera, & usurarius vendit eam, tunc pretium non pertinet ad mutuatarium, sed nec usurarius potest sibi retinere: quia res vendita potest per euictionem extorqueri ab emptore, & re illa euicta, usurarius tenebitur in conscientia totum pretium restituere emptori, à quo res est per euictionem extorta. Item si usurarius rei usurariae fructus vendiderit, etiam pretium non pertinet ad mutuatarium; quia fructus venditi, quamdiu existant, possunt per euictionem vindicari: & tunc usurarius tenebitur totum pretium fructuum restituere emptori, cui sunt fructus per euictionem adempti.

Ad argumenta primae opinionis respondetur: ad primum, negamus lucra ex pecunia usuraria pacta, esse veluti rames ipsius pecuniae; quoniam non oriuntur ex ea, sed ex industria, & diligentia ipsius usurarii.

Ad secundum respondetur, Usurarium non dici propriè, & strictè furem, & raptorè, sed latè dumtaxat. Item, etiam esset fur, nihilominus tamen iuxta praedicta, fur si ex pecunia futura aliquid emas, vel sua industria aliquid lucrificat, sibi acquirit.

Ad tertium respondetur, rem emptam loco pretij succedere in hereditatibus, fideicommissis, & dotibus; non autem generaliter in quibuscumque rebus.

*An bona usurarij sint ipso iure tacite hypothecata pro soluendis vsuris.*

CAPVT XIII.

**N**ON parum refert scire, An bona usurarij sint tacite hypothecata ipso iure pro vsuris soluendis: quia si sicut, consequetur inde, vt ad quoscumque peruenierint huiusmodi bona, transeant cum tali hypotheca, quae est obligatio realis; ita vt officio iudicis possint ea bona vindicari in quacumque sint possessione. Si verò non sint hypothecata, tunc consequenter non transeunt ad alios obligatione reali pro vsuris soluendis, sed quamdiu sunt penes usurarium, erunt obligata pro vsuris soluendis obligatione tantum personali: quod est dicere, usurarium personaliter esse obligatum ad vsuras soluendas; & quia ipse persona est obligata, consequenter bona ipsius quamdiu apud ipsum existant, sunt obligata, ita vt ipse usurarius ex suis quibuscumque bonis teneatur vsuras soluere.

In hac igitur re sunt tres opiniones. Prima ait generaliter omnia bona usurarij esse tacite hypothecata. Ita Glossa in cap. *Cum tu. Et cap. Tu nos. de Vsuris. Et capit. Quamquam. de Vsur. in Sexto. Baldus in l. Executores. C. de Executione rei iudicata. Et l. final. C. de Seruo pignori dato manumisso. Albericus in l. Pro officio. Cod. de Admin. tuto. Ripa in l. Senatuseonsulto. ff. Quib. in caus. pignus tacite contrahitur.*

Hanc opinionem fuisse veterum Canonistarum communem, tradit Panormit. cap. 1. Et fin. de Vsuris: Sed ait oppositam sententiam esse Iuniorum Canonistarum, & veriorè.

Secunda opinio ait, quod licet alia bona usurarij non sint ipso iure tacite obligata pro vsuris soluendis, nihilominus tamen possessiones siue res emptas ex pecunia usuraria, esse tacite hypothecatas. Sic Medina *quest. 4. de*

*Vsurā. ad 4. principale. circa finem. Gabriel in 4. distinct. 15. quest. 1. art. 2. conclus. 2. Lapus allegat. 74. Ioan. Lupus de donat. §. 65. numero 23. & probant ex cap. Cum. de Vsuris. vbi dicitur, vt possessiones emptae ex pecunia usuraria, vendantur, & ex earum pretio soluantur mutuatariis quicquid est per vsuram acceptum.*

Tertia opinio asserit, generaliter bona usurarij, etiam si sint emptae ex pecunia usuraria, non esse tamen ipso iure tacite hypothecata realiter pro vsuris soluendis. Sic Abbas *loco supra citato*, & citat Ioan. Andr. Hostiens. Fredericum, addens praeterea hanc esse communem sententiam Iuniorum Canonistarum. Ita Caietanus in *Opusculis. Tom. 2. tract. 8. cap. 4. Sotus 6. lib. de Iustitia. quest. 1. art. 4. ad 3. Couarr. lib. 3. Variarum resolutionum. cap. 3. nu. 6. Siluestr. var. Vsurā. 6. quest. 3.*

In hac re vltima sententia est verior: nam tacita hypotheca non est ex natura rei; nisi vbi iure aliquo humano est inducta. Sed nullo iure humano, ciuili, vel canonico huiusmodi tacita hypotheca est inducta: ergo non est, &c.

Ad Cap. verò, *Cum tu. de Vsuris.* respondetur, multos decipi, putantes ibi loqui Pontificem de possessionibus per vsuram pecuniam comparatis, & translatis: & ideo dicunt, Pontificem ita tenere, vt vendantur: quod auit, non intelligi ex iure; sed solum locum esse Pontificem ex aequitate humana.

Sed reuera Pontifex loquitur de possessionibus acquisitis ex pecunia usuraria: sed adhuc manentibus apud ipsum usurarium: & ideo merito ex iure Pontifex constituit, vt vendantur; non quia sint ex possessiones tacite hypothecatae, pro restitutione vsurae; sed quia quamdiu sunt apud usurarium, obligatione personali ipsius usurarij sunt obligatae pro restitutione vsurae; ad quam ipse usurarius est personaliter obligatus; & ratione ipsius omnia bona eius, & non solum possessiones ex usuraria pecunia emptae. Et hinc fit, vt si illae possessiones transeant ad alium tertium, nullam habeant hypothecam; quia personalis obligatio non transit ad tertiam personam; nisi illa sit haeres, quae eo ipso, quod repraesentat personam defuncti, succedit in eius obligationibus; & iuribus etiam personalibus.

*An Contractus cum usurario facti, sint validi.*

CAPVT XIII.

**D**E hac re legendi sunt, Sotus *lib. 6. de Iustitia. quest. 1. art. 4. ad 3. Adrianus in 4. de Restitui. quest. qua incipit. Ex his alia oritur questio. §. Hoc igitur supposito. Gabriel in 4. dist. 15. quest. 15. art. 3. dub. 16. Paludanus item in 4. eadem quest. 2. art. 5. Nauarr. cap. 17. num. 266. Et seqq. Siluestr. verb. Vsurā. §. Angelus verb. Restitutio. 1. verb. Vsurarius. Medina de Rebus restituendis. quest. 10. Et de Vsurā. quest. 4. ad 3. Couarr. lib. 3. Variar. resolutionum. cap. 3. num. 6.*

Questionis sensus hic est, An contractus, quem V. g. Titius celebrat cum Caio usurario, ita sit iure validus, vt licet Caius usurarius in conscientia teneatur restituere, quae per vsuram accepit, Titius tamen possit tutè conscientia sibi retinere, quod habet ex contractu celebrato cum Caio? Finiamus enim, Caium pretio aliquid vendidisse Titio, nimirum possessionem; An Titius possit tutè conscientia, sibi retinere possessionem emptam, licet Caius usurarius teneatur restituere vsuras?

In hac re, Primò dicimus, res per contractum celebratum cum usurario accepta, siue sit consumptibilis vsu, siue non, si ab eo fuit per contractum usurarium comparata, quamdiu existat in specie, semper est restitutioni obnoxia, vbi cumque fit penes aliquem possessorem. In hoc conueniunt omnes Auctores, praeter vnum Medianam, qui ait